

net Diabolus potestatem, hoc corripiantur affectu, absurdum esset, dicere; Dæmones coire & concumbere cum ejusmodi hominibus, ipsosque conspurcare suâ libidine, qui tamen quotidie precibus sua commendant corpora DEO. *Vid. pluribus Nobiliss. atque Excellentissum D. Friderici in disp. nuper editâ de Incubo.*

§. 8. Sumitur Vox Incubi & Succubæ 2. passim apud Autores; cum Dæmones corpora vel ex aere efformant, vel recens demortuorum malorum cadavera referunt, eaque Sagis, aliisque sibi adjuratis impiis vel imponunt, vel supponunt, & ita Venereas ipsis excitant voluptates. Si sic sumatur Vox incubi & succubæ, concedimus dari: ita enim quivis Veneficus & quævis Saga congressum habet cum Dæmone, nec est quod é longinquo petamus exempla, cum vel centum sese offerant ultrò Historiæ, ex quibus unam saltim pro chartæ angustia apponere lubet, quam nuper temporis Plur. Rever. Ampliss. atque Excell. D. Chemnitius, Theologus famigeratissimus, Hospes meus omni amoris & honoris cultu prosequendus inter eas, quibus solet aures Commensalium demulcere, historias, narravit: Annis, inquit, non multis abhinc, cum bellum & fames omnia devastârat, in vicino pago Saga deprehensa igni addicebatur, inter alia, quæ confitebatur, dicebat: Diabolum habitu militari vestitum primùm se compellasse, fideque datâ in nomine omnium Diabolorum rebaptizasse, rebaptizatam, postquam DEum, ejusque Ministros & Cultores abnegâisset, per coitum agnovisse, imò indies rediisse, debitamque sibi Venerem persolvisse.

§. 9. Hisce, quæ citra opinionem sese extenderunt, præmissis, quæstionis cardo in hoc consistet: An semen, quod Dæmon aliunde eripuit & in ejusmodi vene-

ne-